DE

PHLEBECTASIIS.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICO-CHIRURGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE II. M. OCTOBRIS A. MDCCCLVI.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

GUILELMUS WALDMANN

SAXO-BORUSSUS.

OPPONENTIBUS:

O. PUHLMANN, MED. ET CHIR. DR.
H. SCHWAHN, MED. ET CHIR. DR.
O. MENZEL, MED. ET CHIR. DR.

BEROLINI

TYPIS EXPRESSIT FR. GUIL. NIETACK.

FRATRIBUS

OPTIMIS, DILECTISSIMIS

MAXIME DE SE MERITIS

HASCE PAGELLAS

PIO GRATOQUE ANIMO

OFFERT

AUCTOR.

In numero morborum, quorum cura nostra etiam aetate multum difficultatis exhibet, etiamsi eorum curationi non solum veteres jam medici valde studuerunt, sed hodie quoque viri peritissimi ad eam perficiendam diversas rationes inierunt, phlebectasiae, in specie varices sunt, morborum genus ingratissimum atque permolestum, quum, etsi rarius periculosum sit, nec funestum habeat exitum, tamen perpetuo vexet aegrotantem et a vitae consuetudine prohibeat. Praeterea curatio medico ipsi summa offert incommoda: sanatio lente procedit, malum saepe recrudescit sine ulla medici culpa; nihilominus aegrotus ei culpam imputare solet propter curationis eventum, qui quum in gravissimis morbis acutis celerrime ex auxilio medico appareat, in phlebectasiis sensim paullatimque demum conspici possit: — hoc modo fieri solet, ut aegrotus summos medici labores quotidie ante oculos habens paullatim iis adsuescat, denique nihili existimet. Jam ea de caussa minime reprehendendum est, quod rationes ad phlebectasias curandas aptissimas invenire studeamus; tum vero progressus, quos hujus morbi cura nostro tempore obtinuit, cognoscere operae pretium est.

DESCRIPTIO ANATOMICA.

Phlebectasiae haud raro reperiuntur partim quibusdam de caussis, quas infra accuratius perscrutari licet, partim propter ipsarum venarum structuram. Venae e capillarium retibus nascuntur, aliae cum aliis perpetuo confluentes paullatim magis magisque crescunt, postremo in nonnullos truncos coëunt, qui ex omnibus corporis regionibus sanguinem ad cor revehunt; plerumque venae arteriarum more acuto angulo se conjungunt, rarius recto vel obtuso angulo; inde accidit, ut sanguis his locis tardius currat; praeterea multo saepius venarum anastomoses reperiuntur, quam arteriarum: haec quoque res magnopere sanguinis cursum impedit et varices efficit. Huc accedit, quod venarum parietes multo sunt tenuiores quam arteriarum; deest arteriarum elasticitas, quamobrem venae facile comprimi possunt et sanguine emisso collabuntur; venarum membrana intima tenuior quam arteriarum et laxior est; media vero, quae in arteriis elasticitate excellit, maxime ab hac structura discedit, multo enim tenuior est et minorem habet numerum fibrillarum contractilium. Cheversius in venis, quae corporis cavis inclusae sunt, et in nonnullis trunci superficialibus complura fibrarum circularium strata paucis longitudinalibus mixta invenit; ceteris autem, imprimis extremitatum venis, externum circularium, internum longitudinalium fibrarum stratum adscripsit; hac structura illae nimiae capacitatis, hae vero nimiae longitudinis extensioni optime resistere posse vi-

dentur. Membrana externa uti in arteriis e tela cellulosa etiamsi paullo tenuiori composita est, immixtis paucis fibris contractilibus; hac membrana carent venae organorum parenchymati insitae et sinus venarum. Huic structurae vires et habitus venarum respondent: e membranae mediae tenuitate perspicuitas et elasticitas minima apparent: tum fibrarum circularium debilitas impedit, quominus venae uti arteriae diffringantur; — Intra multas venas passim valvulas quasdam membranaceas reperimus semilunares, in parietibus eo modo sitas, ut margo earum concavus in venae lumen immineat et ad cor spectet: valvulae plerumque binae, rarius singulae vel ternae occurrunt, et quum liberi margines conniveant, venae lumen concludere sanguinisque cursum impedire valent; maximus earum numerus in extremitatum venis, ubi singulae singulis confluunt, adest. [1]) Valvulae, etiamsi in sano corpore sanguinis ad cor reditum valde adjuvent, tamen simulac sanguinis cursus in venis impeditus est, permagnum ad varices formandos momentum afferunt. Valvulas facile videre possumus, quum digito alterius manus in altera venam aliquam retro permulcemus eoque modo sanguinem retinemus: sanguis in valvulis subsistit et per aliquod tempus varicem efficit: —

Phlebectasia igitur nasci solet, venis angulo recto vel obtuso confluentibus, innumeris imprimis in crure anastomosibus, parva parietum elasticitate, valvulis de-

---

[1]) Wilson — Holstein, Anatomie des Menschen.

nique semilunaribus, qui apparatus in sano corpore circuitum sanguinis efficiunt.

PATHOLOGIA.

Phlebectasia, varix, Aderknoten, Wehader (Cirsus, Phlebeurysma, Kindsader, Venenbruch, Aderkropf, Krampfader) unaquaeque dilatatio venae chronica abnormis loco aliquo nominatur. Venae dilatari possunt, ubi, uti maxime, circumdantur partibus non resistentibus; dilatationes transitorias videmus inter animi affectus, id quod nondum morbus est, item inter motum acceleratum, inter labores corporis totius aut partium singularium. Sunt autem caussae permultae dilatationum chronicarum, quae simul structuram venarum anatomicam ita mutant, ut contractilitas earum, per se jam minima, plane fere aufferatur, et ille provocetur affectus, qui nomine Phlebectasia designatur. Hic status diversos habet pro extensione sua gradus: si omnes venae laborant, si dilatatio per venas omnes est extensa, ubi sanguis quoque venosus praevalere dicitur arterioso, — illud exstat, quod nominarunt venositatem. Hoc loco de dilatationibus tantum partialibus scribitur, de iis maxime, quae periphericae sunt et curatu faciles. Nominatur igitur aptissime phlebectasia omnino dilatatio partialis, affectus ipse autem loci alicujus nomine speciali designatur, sic varices extremitatum, sic varicocele, cirsocele venarum funiculi spermatici et scroti, haemorrhoides, güldene Ader, venarum recti. —

A. Haemorrhoides:

Dilatatio venarum haemorrhoidalium species duas praebet: 1. dilatatio est venarum ipsarum in margine ani, quo venae vertuntur — sic dictae haemorrhoides saccatae; — in sacculum talem intrat saepius numerus magnus parvarum venarum dilatatarum, unde adspectum praebent lamellosum, cavernosum. Sacculus insidet recti plicae, quacum statu relaxato intrat rectum. 2. Ectasia haemorrhoidalis, quae est — sit venia verbis — dilatatio vasorum capillarium venosorum, quae omnium maxime ad sanguinis jacturas disponit. Et comprimente musculo sphinctere et irritatis nodis inflammatis suppuratio, gangraena, deinde fistulae, fissurae et stricturae recti in morbi decursu exsistere possunt: in gradibus levioribus aut sola turgescentia (haemorrhoides coecae) fit, aut secretio muci largior (haemorrhoides mucosae), aut sanguis profluit ex ruptione, haemorrhoides fluentes). — Homo rei medicae ignarus vix dicam uti medicus symtomatum morbi gnarus est, qua de re brevius de hoc affectu scribendum est. Ceterum tamen Ravoth et Vocke [1]) in libro suo recte admonent, ut medicus, si querelae de molestiis haemorrhoidalibus edantur, quae ori populi tam praesto sint in multis, quod anatomiam et physiologiam recti attinet — morbis, et oculo et digito sese certiorem reddat de loci affectu. Saepe fissurae, condylomata, carcinomata recti medicamentis antihaemorrhoidalibus diversissimis im-

1) Chirurgische Klinik. Dr. Ravoth u. Dr. Vocke. Berlin.

pugnantur, donec inspectio debita errorem ostendat. — Caussae in specie haemorrhoidum sunt: vita sedentaria, uti quorundam opificum, exempli gratia sutorum: mulieres minus afficiuntur quam viri, — maxime morbus ab anno trigesimo usque ad quinquagesimum exstat; causa localis est: irritatio recti, obstructio alvi pertinax. —

B. Varicocele.

Altera phlebectasiarum species est Varicocele, quo nomine nunc et dilatatio venarum funiculi spermatici ipsius, et superficialium scroti significatur. Invenitur funiculi tumor usque ad annulum abdominalem, testis apparet major, est gravior magisque pendet latere sano[1]). Procedente morbo funiculi tumor sensim crescit, apparet oculo tumor elongatus annulum versus; tumor pugni magnitudinem adipisci et testis et epididymidis atrophiam efficere potest. Scrotum colore vasorum dilatatorum fusco-rubrum apparet. Venae plus minus dilatatae, tensae, contortae, aliae aliis superimpositae reperiuntur, sic ut lumbricorum multorum inter se contortorum similitudinem praebeant. Saepius lapilli e calce et magnesia phosphorica constantes, verisimiliter e sanguinis coagulis orti, in venarum parietibus reperiuntur. Funiculi tumidi pondere nervi tensionem patiuntur, existunt dolores usque ad regionem iliacam: augentur stante aegroto et tantopere saepe acerbantur, ut non possit homo negotia sua exsequi. Quod attinet

1) Rust, Handbuch der Chir. Art. varix, u. s. w.

ad varicoceles caussas, hae sunt: venarum spermaticarum internarum longitudo, diametro parva et decursu, in quo saepius comprimi possunt aut tumoribus aut vestimentis aut corpore flexo. Vena spermatica interna sinistra praecipue flexura sigmoidea coli et faecibus ibidem subsistentibus comprimitur, quare saepius varicocele in latere sinistro apparet. Huc accedit, quod, quum vena spermatica dextra in venam cavam ipsam angulo acuto inosculetur, in latere sinistro spermatica angulo recto in venam renalem influit, id quod sanguinis stagnationem certe efficit. — Praeterea varicoceles caussa esse dicitur haemorrhoidalis morbus, praematura partium genitalium irritatio, quod valde probabile, quum varicocele maxime inter annum 15—25 oriatur. —

C. Varices.

Tertiam phlebectasiarum speciem sistunt varices. Vena varicosa extenditur, decursum praebet contortum; venae membranae extenuantur et exsaccantur; aut laminae omnes afficiuntur aut sunt sacculi laminae internae laminis externis perforatis; sensim exsistit extenuatio valvularum: tela circumdans cellulosa saepius est infiltrata, sic ut vena tanquam in sulco cubans appareat. Varix est aut dilatatio venae peripherica — varix periphericus, aut dilatatio parietis partialis — varix lateralis, qui maxime sunt saccati, sacciformes. Omnes hi sunt varices veri, varix spurius est dilatatio telae cellulosae, sanguine plena et conjuncta per foramen cum venae lumine; — varices solitarii nominantur nodi rari, varices aggregati dila-

tationes complures, uti plerumque videtur. — Nodi inveniuntur, nisi jam per longum tempus aderant, molles, digito prementi cedentes et plane fere evanescentes, compressione autem sublata celeriter in conspectum redeuntes. — Ambitus eorum tempore crescit, nodi evadunt tensi, elastici, fluctuantes, si inter eos et cor vena ipsa comprimitur; si varices aliquamdiu jam perstiterunt, venae quasi funiculi resistentes inveniuntur, nodosi, ubi venae valvulis exstructae sunt, pulsatio non adest, nisi fortuito arteria subjecta movetur. Sanguis translucet maxime in venis iis, quae jam cum cute conjunctae sunt et eam quoque dilataverunt, deinde in venis superficialibus. Si dilatationes venarum permagnae sunt, aut si multae laborant extremitatum venae, exempli gratia cruris, dein circulatione impedita, forsitan lymphaticis quoque vasis compressis, extremitas intumescit. Cruris varices apparent aut in truncis venarum aut in earum ramificationibus, saepius ambo afficiuntur, maxime apud mulieres; aut solum crus afficitur, aut corripiuntur femoris quoque venae; imprimis femoris dextri venae morbo affici dicuntur. Varices inveniuntur imprimis in facie cruris anteriore, rarius in facie posteriore, quod secundum Hyrtl „die fascia superficialis in der untern Hälfte mehr entwickelt ist, als in der obern und die vena saphena posterior zwischen ihren beiden Blättern enthält, welche durch die fortwährende Compression derselben varicöse Ausdehnungen nicht so leicht, wie an der saphena interna, zu Stande kommen lassen.“ — Dolores extremitatis

varicosae sunt trahentes pungentes una cum sensu gravitatis et cum inertia membri, quandoque dolores acerrime incidentes sunt et crescunt laboribus et situ cruris pendente. Persaepe cum hoc affectu conjunguntur molimina universalia, anxietas, insomnia, capitis dolores, vertigo, palpitatio cordis, alia congestionis symptomata. —

CAUSA MORBI.

Causas morbi complures jam supra in descriptione anatomica apposui: praeter has praecipue sunt momenta mechanica, quae aut circulatione impedita, aut congestione effecta, sanguinis stagnationem et procedente morbo venarum dilatationem efficiunt.r Gaviditatis vis satis nota est: ultimis graviditatis mensibus morbus maxime procedit, post partum multo melior status fit, etiamsi valetudo non in integrum restituitur: quamobrem sexus sequior ad hunc morbum dispositione majore fertur; huc accedit vestitus feminis peculiaris, strictus et circulationem impediens. Deinde mulieres, quae pedibus insistentes negotia sua tractant, aut flexo corpore sanguinis circuitum retardant, uti lotrices; — tum congestiones ad vasa capillaria frequentes, quo venae magna sanguinis molimina superent necesse est; porro tumores venarum truncos comprimentes; cicatrices et stenoses viarum, quas venae intrant, maxime annuli cruralis secundum Stromeyer; demum fascia lata adstricta venam comprimens. Sic ab Heyser (Schweizer Zeitschrift für Medizin) traditur de ulceribus varicosis cum summa

venae saphenae dilatatione: „er machte über dem obersten varix einen mehrere Zoll langen Einschnitt, isolirte denselben und spaltete die demselben genau und fest anliegende fascia lata; augenblicklich nach dieser Spaltung fiel die Vene zusammen, bald war von den Varicen am Ober- und Unterschenkel keiner mehr vorhanden und die Heilung der Geschwüre ging rasch von statten.“

DECURSUS ET EXITUS.

Phlebectasiae, quae ad gradum majorem evectae sunt, raro ad statum integrum redeunt, etenim sublata caussa, graviditate exempli gratia, vetus illud dictum — sublata caussa tollitur effectus — in hoc morbo haud omnino valet. Gradus morbi minor aegrotum haud magnopere offendit cruciatque, magis vero evoluti varices magnopere infestant; interdum enim inflammatione corripiuntur, quae et compressione, et frictione, et labore membri affecti nimio provocatur; symptomata incidentia sunt phlebitidis: — plerumque consequitur inflammationem induratio et obliteratio, nisi forsitan pyaemia tristem sistit exitum. Nonnunquam vero rupti varices homines ad mortem duxerunt: contigit mihi superiore tempore, ut interessem talibus momentis, exempli gratia huic: saltabat femina, subito varix rumpebatur inter saltandum, profluebat sanguis ad pavimentum, quo praesentes rem cognoverunt; altero in casu mulier, quum pedem sellae imponeret, ut solveret calceum, sanguinem magno arcu in conclave prosilire vidit: gravida non erat,

complures autem partus jam sustinuerat et valde varicibus vexabatur; verisimiliter quum pedem imponeret sellae et corporis partem superiorem antrorsum et deorsum verteret, stagnatio sanguinis, qua varices adstringebantur, tanta fuit, ut non amplius posset resistere extenuata vena. Non raro enarrantur casus funesti, quibus sanguinis jactura brevi tempore maxima, priusquam medicus auxilium ferre poterat, homines ipsi autem in tanta rerum difficultate non faciebant, quod praesto erat, digito aut quovis instrumento sanguinis profluvium inhibentes, — aegroti peribant.

Ulcera[1]) ex phlebectasiis, maxime in extremitatibus inferioribus, haud raro inveniuntur. Haec ulcera praecipue sedem habent supra aut juxta malleolos, juxta tendinem Achillis, deinde in externa anteriori cruris parte; persaepe tota cruris facies velut annulo circumdatur ulceribus varicosis; ulcera etiam ex superiore cruris parte migrant deorsum, quum ulcus superne sanetur, inferiora versus procedit, sicut ulceris crustas et ulcera secernentia uno eodemque tempore videre possis, quae in cute efficiunt colorem fusco-rubrum ac lividum. — Ulcera oriuntur aut ex partium extensione, aut ex momentis mechanicis, uti partium varicosarum frictione. Ulcerum basis est aut pars varicosa inflammata, quae in suppurationem abiit, aut, uti maxime, inflammatio cutis chronica ex varicibus infiltratae, quae item ad suppurationem perrexit. Existunt abscessus complures majores aut minores so-

---

1) Rust, Handb. d. Chir. l. c.

litarii, — aut inflammatione cutis certo loco petitur, quo vesiculae efflorescunt, quae aut fricatae aut sponte ruptae ulcera parva relinquunt; sic inveniuntur ulcera solitaria, quae vero persaepe confluunt et magnam cruris partem occupant. — Curatio tantorum ulcerum varicosorum spontanea rara est; recrudescunt facile, immo vero persaepe adeo resistunt curationi, ut cura radicali tantum ipsorum varicum, quam aegroti doloribus acerrimis vexati appetunt, sanentur, quum non solum membri functionem offendant et impediant, sed etiam aegrotum in lecto detineri cogant.

PROGNOSIS.

Prognosis dubia tantum existimari potest, nam in hoc maxime malo spectat ad aegroti res familiares, secundum quas persaepe mala dicenda est: nam quum saepius pauperes hoc malo tententur, qui ut vitam sustentent, negotia sua exsequuntur, tali modo perdunt, quod medicus multo opere exstruxit, et impediunt sanationem. Est deinde dispiciendum, utrum per longum tempus malum jam vigeat latiusque extensum sit?

Forsitan hoc loco mentionem facere non alienum est dignitatis morbi et quaestionis, utrum liceat, semper sanare morbum illum nec ne, qua de re therapia nova ac pristina inter se differunt et nostrorum chirurgorum sententia amplior facta est: — status enim quosdam, uti venositatem universalem, uti morbum depuratorium aut criticum, semper oculis dubiis considerant nostri. — Etiamsi verum est, semper in varicocele et in

varicibus mali loco corporis alicui inhaerentis rationem esse habendam, priusquam malum totum corpus affectans exquiratur, tamen negari non potest, interdum accidere, ut funditus malum tollere non modo audacter, sed etiam perperam agentis sit. Hoc quidem summi est pretii in affectibus haemorrhoidalibus, quos saepe tanquam necessarium malum pati oportet, quod a gravioribus malis aegrotantem tuetur, neque aliam quam palliativam methodum adhiberi patitur; ut exemplis utar — in dispositione phthisica hämorrhoidales affectiones magni momenti esse dicuntur, ut phthisis ipsa removeatur; tum haemorrhoides in plethora ab inflammationibus aegrotantem defendere traduntur; ita Rust narrat, quendam militem, quum primum varicocele emersisset, palpitatione cordis esse liberatum; alius, qui multum interrupta digestione laborabat, brevi convaluit, postquam in crure varices exorti erant. Nihilominus semper in his rebus respiciendum est et propter hoc et post hoc, neque ignorandum, certam demonstrationem non posse afferri. Sed qui omnes morbi caussas secum reputat, etiam nunc indicationes habet, [1]) quos pro et contra afferat; sic curae radicalis contraindicatio constituenda est, si quis vergit ad apoplexiam, ad phthisin, ad cordis morbos, aut si in eo statu versatur, in quo varices nihil aliud quam indicium quoddam praebent, ut apud mulieres gravidas. Aliter res se habet, si malum locale esse patet, et aegrotus tam vehementer

1) Rust: l. c.

vexatur, ut negotia sua exsequi non possit, aut si graviores morbi status impendent, — tum operationem indicatam esse inter omnes constat. —

CURATIO.

Curatio aut mere symptomatica, palliativa est, aut radicalis; — in hoc morbo cura palliativa maximae est dignitatis, quum cura radicalis funestum forsitan exitum habere possit eaque de caussa, quo fieri potest, protrahi debeat. Jam caussae morbi indicant medico, quid praescribendum sit, ciborum idoneus delectus, motus frequens, maxime in plethora abdominali; praetera medicamenta aperientia et resolventia, salina leviter laxantia, uti fieri solet, una cum sulfure et rheo: aquae minerales resolventes, ut Kissingen, Homburg, Marienbad, Karlsbad, aliae, — unaquaeque tamen pro sua indicatione: — In loco affecto, quum morbus oritur, compressionis ac frigoris applicatio salutaris est; in phlebectasiis haemorrhoidalibus clysmata ex aqua frigida adhibenda sunt; — in graviditate mulieres, ubi fieri potest, jam a quarto-quinto graviditatis mense apparatu, quem nos dicimur Gummistrümpfe, Schnürstrümpfe, utantur; quod si non consequi potes propter pretium apparatus, involutio extremitatum per fascias laudanda est; in varicocele suspensorium; situ horizontali dolor ac tumor valde minuuntur. Multi laudant cataplasmata e fluidis adstringentibus, unguenta e plumbo, zinco, alii refragantur: saepius quum crura ambo valde varicibus affecta erant, in clinico chirurgico

optimum vidi successum, qui cura palliativa effici potest olei blandi applicatione; — linteum oleo imbutum imponitur extremitati, deinde involutio per fascias sequitur; si dolores graviores adsunt, fomentationibus narcoticis apte utaris. Persaepe aegroti post spontaneam varicis rupturam et sanguinis jacturam melius se habent: itaque Petit varices turgidos et valde dolorificos cultro aperiri suasit. Sed in morbi decursu molestiae tantae fieri possunt, ut cura radicalis postuletur; sic ulcera, quae medicamentis omnibus obstant, dolorifica et per longum tempus protracta, sic in varicocele testium atrophia, quae ex compressione timenda est. Cura radicalis [1]) venam dilatatam aut plane destruere aut inviam reddere conatur: methodi ad curandum radicitus morbum diversae institutae sunt: maxime hae nominari merentur: 1. compressio, 2. deligatio, 3. ligatura, 4. cauterisatio, 5. acupunctura, 6. incisio et discisio, 7. exstirpatio, 8. tentamina mixta.

a. Compressio.

Venarum compressionem Breschet primus proposuit curandae varicoceles caussa, quum compressoriis ad hoc inventis venam segregatam una cum plica cutanea circumdante sic comprimeret, ut post horas 24—36 cutis gangraena oreretur; quo facto instrumentum auffertur et inflammatione effecta vena obliterari dicitur. Sanson apud extremitatum varices eam adhibuit et utebatur parvis laminis ferreis, corio

1) Emmert, chir. Handbuch.

obtectis, quae cochleae ope plus minus moventur: circulatione sublata, thrombosis fieri dicitur. — Compressio modificata est tentamen a Davat proclamatum, qui subter venam cum plica cutanea levatam acum traduxit et in illa compressionem effecit, filorum ope gyris octoformibus eam circumdans. — Theoria in methodis omnibus eadem est, successus etiam bonus exstitit, nostro autem tempore tentamina meliora innotuerunt.

b. Deligatio.

Deligatio in ectasiis modo haemorrhoidalibus adhibetur: circumdatur nodus filo, attrahitur filum, donec nodus removeri potest — operatio jam a Galeno et Celso instituta. —

c. Ligatura,

veterrima quoque operatio, nam ducibus Aëtio et Paulo Aegineta variis modis adhibita est: simili modo ut apud arterias cute incisa instituitur, quum aut — ut secundum Antylli methodum — supra et infra varicem ligatura applicetur, aut, ut duce Huntero, truncus ipse venosus obliteretur; quas methodos quum saepius phlebitides aut pyaemia sequerentur, ab iis abstinebant chirurgi, donec nostra aetate Ricord ligaturam subcutaneam minus periculosam proposuit, tentamen laudabile et facile peractu. Utaris apte acubus duabus rectis, acumine plano, quarum una mucrone obtuso instructa et tenuior altera est: traducitur filum ligatorium duplicatum per auriculam acus, in una praeviis liberis finibus, in alterutra laqueo; tum vena in plica cutanea prehenditur re-

motis partibus ambientibus, quod praecipue in varicocele notandum, ubi vas deferens duritie insigne, arteriam et nervum retro ducas: si nervus prehensus est, fortius adstringas ligaturam. — Quo facto primum acus cuspidata sub vena per cutem trajicitur, filum manet: deinde acus alterutra (obtusa, ne venam laedas) per eundem introitum et exitum ante venam traducitur, ut ex quaque punctura laqueus et duo fines liberi propendeant. Deinde utraque parte fines liberi per laqueum mittuntur firmissimeque contrahuntur, quo facto vena sub cute munita et invia facta est; fila super trochlea ex emplastro adhaesivo constructa colligas, aut super arcum quendam chalybeum ducas, quo circa cochleam munito, quantum opus est, attrahas. Fila relinquuntur 10—12 dies, quo tempore fere discindunt venam: jam prius autem facile removentur, quum juxta puncturam filum unum abscindas, quo facto alterutrum attractum facile exit. Situs tranquillus, diaeta antiphlogistica aegrotis praescribuntur, cetera secundum indicantia. — Ricord ipse primo ligaturam non plane, sed sensim diebus posterioribus adstringere solebat; melius autem est, statim filamenta plane contrahere, quod optimo etiam successu factum esse vidi. Ricord laudat casus prosperos, item in clinico chirurgico Ill. B. Langenbeck haec methodus bono eventu fuit: methodus, si cura radicali opus est, et propter vulnerationem exiguam et propter commoda est commendanda.

Hoc loco venarum convolutionem secundum Vidal (enroulement) adjungam: — Pauli compressionem

modificatam, convolutioni similem edidit, alteram acum subter venam, alteram ante venam easdem per puncturas traducens acuumque fines filamentis constringens — Convolutio venarum aeque facilis operatio est: si a nonnullis gravis ac periculosa nominatur, aliorum experimenta contrarium demonstrarunt. Vidal primus operationem varicoceles curandae caussa edidit, illustrissimus Juengken primus in curandis extremitatum varicibus eam adhibuit, ambo optimo successu. In clinico nosocomii caritatis chirurgico (unus tantum duodecim aegrotorum obiit) operatio undecies tempore quodam optimo eventu fuit: ille autem miser ipse caussam mortis attulit, quum filamentis argenteis jam remotis, rebus bene procedentibus, praecepta non sequeretur et ita suscitaret pyaemiam, quae nihil habuit commercii cum operatione. (Conf. Dr. Friedel, dissertatio de venarum convolutione, nova varicum curatione, qui casus illos accurate descripsit). Phlebitis ac pyaemia ex hac operatione nullo modo saepius exsistunt quam ex ligatura et Ill. Juengken se in curanda varicocele convolutione plus quam tentamine Ricordi profecisse contendit. —

Convolutio et venam obliterare et cursum venae in varicibus gyratum applanare studet: alterum tentamen filamentorum compressione, alterum ipsa convolutione efficitur. Modus operandi similis ligaturae est: sunt acus duae chalybeae, una cuspidata, altera obtusa, quae in basi meatum cochleaeformem habent filamentorum inserendorum caussa. Filamenta sunt aut platinea, aut plumbea — aut quae optima sunt

— argentea, quae ut apte adhibeas, unum circiter et dimidium pedem longa in meatum acuum antea nominatum inseruntur: primo filum unum acu cuspidata subter venam, deinde alterum acu obtusa ante venam traducitur, donec utroque in latere fines aeque longi propendeant: — chirurgus ac ejus administer convolvunt deinde filamenta circa se ipsa et vertunt in regionem unam eandemque sive sursum sive deorsum, donec vena plane compressa sit. Chirurgus deinde filamenta proxime a puncturis prehendit et amplius eandem regionem versus circa axin volvit, versus quam antea jam contorta erant, — quo actu vena convolvitur, id est, — decursus ejus minuitur, sic ut vena antea nodosa ac gyrata nunc recta appareat. Filamenta deinde super trochlea lignea, linteo obducta, quae in cute inter puncturas non laesa ponitur, contorquentur: Aegrotus supinus in lecto cubat; diaeta antiphlogistica praescribitur; mox eo loco, quo fila traducebantur, vena thrombosi invia redditur: dilatationes varicosae non amplius adsunt. — In loco ipso compresso suppuratio oritur, filamenta perscindunt venam sensim sensimque, deinde cutem, quod accelerari potest, si post aliquot dies filamenta amplius contorquentur; remanet ulcus parvum, quod more solito curandum est; operatione facta fascia circumdare membrum juvat, ut removeatur hydrops: post quinque aut sex hebdomades aeger in integrum restitutus est. — In clinico nosocomii caritatis chirurgico methodos apud magnos varices optimo fuit eventu; negari non potest, oriri posse post hanc ope-

rationem phlebitidem ac pyaemiam, nec minus morbum revertere posse, quod autem post quamvis methodum accidere potest. Ratio medendi morbo in perpetuum usque ad hoc tempus nondum reperta est.

d) Cauterisatio

nostra aetate non multum, sed in quibusdam tantum affectibus, adhibetur: Celsus ferro candente operabatur, quod venae incisione nudatae applicabat: Paré kali caustico usus est: — ingrata est in hac methodo ulceratio, quam persaepe sanguinis jactura maxima ac difficilis inhibitu sequitur. Cauterisatione solum, methodo secundum Dypuytren, — usum esse Illustr. B. Langenbeck vidi in ectasia hämorrhoidali prospero cum successu: — hac ratione Ill. Langenbeck forcipem obtusam et brachiis latis instructam adhibuit, ut a regione ambiente amplius calor arceatur: ectasia forcipe prehenditur, supra brachia abscinditur, quo facto ferrum candens vulneri applicatur et ita haemorrhagia sistitur. — Memoratu digna est operatio ab Amussat inventa, compressio una cum cauterisatione; utitur ille forcipe cavis instructa brachiis, argento nitrico repletis, quo modo tumoris gangraena citius facta haemorrhagia et phlebitis vitari dicuntur.

e) Acupunctura

usus est Kuh ad curandas phlebectasias: — circa animalia experimenta instituit, minime tamen prospero successu, nam in experimentis XXI. semel tantum vena obliterata est; — venae cute liberatae acus infigitur et quoad opus est relinquitur: quod tentamen

successus minimi caussa fortasse nondum in homine est institutum.

f) Incisio.

Incisione utebantur chirurgi, ut tumores varicosos, inflammatione correptos, cruore repletos vacuefacerent, deinde etiam ut venam obliterarent: illa ratione incisionem Petit curae palliativae caussa commendavit: vena puncta, quum sat magna sanguinis vis profluxisset, puncturam linteo et fasciis obtegebat; incisione etiam in ectasiis haemorrhoidalibus valde magnis, tumidis utimur, ut aliquamdiu aegrotus levetur. Curae radicalis ratione incisionem Richerand et de Graefe instituerunt, qui incidebant venam amplitudine digitorum plurium, vulnus linteo carpto et spongia compressa replebant et membrum deinde fasciis circumdabant; quum totius extremitatis venae varicosae essent, bis ter tali modo incidi venas autores illi jubebant — supra malleolum, supra genu et superne longius —; haec vero methodus afferre videtur dispositionem ad phlebitidem diffusam et vix etiamnunc adhibetur. — Hodgson curationem sic instituit, ut venam nudatam discinderet et compressionem deinde adhiberet — malo quidem successu: — prospero eventu fuit discisio subcutanea a Brodie edita, qui cultrum angustum, cuspidatum, leviter incurvatum, in convexo latere acutum (sic dictum Phlebotomum) inter cutem et venam traduxit, deinde aciem venam versus convertit et vas cultrum retrahendo discidit. — Ricord aliique autores partem venae plane exiderunt; duodecim casus a Ricord hac

ratione tractati, sanati sunt, unus aegrorum phlebitide mortuus est.

g) Exstirpatio, cirsotomia.

Cirsotomia maxime adhibetur in varicibus singulis aut in nodis varicosis, qui, uti in facie, aut deturpant, aut turgore dolores causantur, aut nodis fissis periculosas haemorrhagias inducere possunt; sic potissimum nodi haemorrhoidales, ectasia varicosa faciei et tumores varicosi majores extremitatum. Operationem non tam periculosae phlebitidis, quam haemorrhagiae ingentis caussa timendam esse putant, praesertim si in locis exstirpatur, ubi haemorrhagia neque compressione neque ligatura cohiberi potest. In cirsotomia cutis superjecta, si alienata est, aufferetur, si non est, supra nodum plica contrahitur et perciditur, tum varix aperitur, vena si in majorum numero habenda est, supra et infra tumorem ligatura substringitur, quo facto pars alienata exciditur. Haec methodus praecipue in nodis haemorrhoidalibus adhibetur; exstirpationem autem non completam sed partialem esse volunt autores, ac quidam quum una pars excidatur, alteram reservandam esse dicunt, qua re celerrime vulnus claudatur. Maxime dum haec fiunt, haemorrhagiae ratio est habenda, quae facile in antrum recti effunditur, dum sphincter ne guttam quidem sanguinis defluere patitur, qua re collapsus oriri potest, quem facile vitat, qui caussam bene novit. Ac haemorrhagia quidem optime supprimenda est aqua frigida inspersa, glacie aliisque stypticis applicatis; quae si hoc modo non supprimitur, obturatio recti

aut linteo carpto aut linteo convoluto superest, aut, quod multo plus commendatur, ingeras in rectum intestini suilli partem aut vesicam suillam aqua tepida laxatam, deinde aquam frigidissimam infundas siphonis ope, quo facto vesica extenditur et frigore et compressione haemorrhagia sistitur. Alii suadent eo, quod maxime praesto sit, sedari haemorrhagiam, ut duo aut tres inserantur digiti in rectum et vasa sanguinem fundentia comprimantur, — consilium praesente medico et, ubi periculum in mora est, haud contemnendum.

Praeter methodum apud cauterisationem laudatam Illustrissimus B. Langenbeck abscisionem administrat hoc modo: si nodus in conspectu est, forcipe longis brachiis exstructa (trabeculari) prehenditur et acus per basin traducitur, quae filis uti in sutura circumvoluta circumdatur; tumor deinde aut cultro aut forfice absciditur et vulneri argentum nitricum applicatur; acus viginti quatuor horas post aut si non amplius haemorrhagia timenda est removetur: fila remanent et sic omnia sibi relinquuntur: crusta decidit et ulcus granulatione sanatur.

h) Tentamina mixta.

Davat praeter methodum jam supra nominatam compressionem venae una cum plaga levi ejus edidit, ut eo citius et tutius obliterationem efficeret: hujus tentaminis caussa primo acum post venam traduxit, deinde alteram acum in venam directione longitudinali infixit, post primam deduxit et reduxit rursus e vena, sic ut acus situ suo crucem formarent: ligaturis acus cir-

cumdabat. — Fricke edidit methodum, filum oleo imbutum trans venam traducens et fines fili super vena laqueo conjungens; juxta filum sanguinem sensim sensimque emanare voluit; filum uti corpus alienum obliterationem venae efficere dixit: — Pigeaux et post eum Stromeyer proposuerunt curationis varicum caussa ligaturam arteriae extremitatis varicosae. — Varicas ex analogia aneurysmatum curationis, in venam incisam ingeri solutionem Tannini voluit, dum vas cor versus comprimatur, ut tali modo sanguis coaguletur et vena oblitteretur. Novissimo tempore Chassaignac methodum exstirpandi tumores cujusvis generis edidit, quam ipse nominat écrasement lineaire: instrumentum invenit obtusa catena instructum, quae circa basin tumoris ponitur et cujus ope tumor quasi abraditur; tali modo minimam, immo prope nullam hämorrhagiam exsistere dixit: quodsi est verum, tamen de aliis methodi commodis autores adhuc ambigui haerent. Certi aliquid nondum dici potest, quum tentamen recentius sit, quam ut de eo judicetur: tamen partium compressio et laceratio operationem comitans ulcerationem diffusam timeri jubet, quae semper et maxime in phlebectasiis, in quibus etiam methodum suam adhiberi vult, non optanda est.

Operandi methodorum enumeratione finem dissertationi impono: est vetus proverbium, optimum esse argumentum consilii inopiae in quovis malo, si tot semperque nova medicamenta commendentur: id quoque valet de phlebectasiis: nulla methodus impedit recidivas, quod vero et multis externis et anatomicis

momentis efficitur: — unaquaeque methodus tristem sortiri potest exitum — semper tamen altera alterâ melior est et uti omnino in scientia medica, ita hoc loco praecipue illud valet, ut unicuique casui tentamen eligatur aptissimum: — Proverbium: „divide et impera“ medicum est: de singulorum hominum natura quaere et impera. —

VITA.

Natus ego sum, Ernestus Guilelmus Waldmann, die XXX mensis Novembris a. MDCCCXXXII, Worbi, oppidulo Saxo-Borussiae, patre Guilelmo, saltuario, quem summe venerandum deus optimus maximus hucusque mihi servavit et ut diutius servet quotidie precor, matre Anna Maria e gente Süssmann, quam ante sex annos morte praematura mihi ereptam lugeo. Fidei addictus sum catholicae.

Primis litterarum elementis imbutus gymnasium Heiligenstadiense, tunc directore M. Rinke florens, per octo annos frequentavi. Maturitatis testimonio instructus mense Octobri anni MDCCCLII ab Ill. Grimm civibus instituti regii medico-chirurgici Friderico-Guilelmiani adscriptus sum et per semestria octo hisce interfui scholis:

Philosophicis:

Ill. Dove de physice;

Ill. Lichtenstein de zoologia;

Ill. E. Mitscherlich de chemia anorganica, organica et pharmacia;

Cel. Preuss de historia;

Exp. Sonnenschein de chemia forensi;

Ill. Weiss de mineralogia;

Cel. Werder de psychologia, de logice.

Medicis:

Exp. de Baerensprung de syphilide ejusque curatione;

Cel. Boehm de aciurgia;

Ill. Casper de medicina forensi, de arte formulas medicas rite concinnandi;

Exp. Ebert de morbis infantium;

Exp. Elsholtz de morbis simulatis et dissimulatis, de militum delectu;

Exp. de Graefe de ophthalmologia;

Ill. Juengken de chirurgia generali et speciali, de laesionibus;

Cel. Lauer de therapia generali, de semiotice;

Ill. C. G. Mitscherlich de materia medica, de medicamentis excitantibus;

Ill. Mueller de anatomia universa et organorum sensuum, de anatomia comparata et pathologica, de physiologia universa et physiologia generationis;

Exp. Remak de pathologia experimentali;

Ill. Romberg de pathologia et therapia speciali;

Ill. Schlemm de osteologia, de splanchnologia, de syndesmologia;

Cel. Schoeller de arte obstetricia;

Ill. Schoenlein de pathologia et therapia speciali;

Ill. Schultz-Schultzenstein de encyclopaedia et methodologia, de pathologia generali;

Cel. Troschel de fracturis et luxationibus;

Exp. Traube de auscultatione et percussione.

Artem cadavera rite secandi me docuerunt Ill. Mueller et Ill. Schlemm; artem fascias rite applicandi Cel. Troschel. In exercitationibus obstetriciis Cel. Schoeller, in operationibus tam chirurgicis quam ophthalmiatricis Cel. Boehm, in exercitationibus medico-forensibus Ill. Casper duces mihi fuerunt.

Clinicis medicis interfui virorum Ill. Schoenlein, Ill.

Romberg, Cel. Wolff, Exp. Ebert; chirurgicis Ill. Juengken, Ill. Langenbeck, Exp. Gurlt; obstetriciis Cel. Schoeller; syphiliticis Exp. de Baerensprung.

Quibus omnibus viris maxime de me meritis gratias ago quam maximas.

Jam vero tentaminibus tam philosophico quam medico, nec minus examine rigoroso coram Gratioso Medicorum Ordine rite superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Medicamenta antiphlogistica magis sunt supervacanea quam diaeta antiphlogistica: diaeta observata sine medicamentis persaepe sanabis, diaeta neglecta non sanabis medicamentis omnibus adhibitis.
   (Schoenlein).
2. Diaetetice et psychica et somatica omnino curandis morbis maxima est dignitate: qui autem contendunt, medicamenta omnino esse supervacanea, non recte dicunt.
3. Aqua in quavis forma et temperie egregium pro sua indicatione remedium.
4. Proverbium: „post coenam stabis aut mille passus meabis", falsum.
5. Medicus interpres ac minister naturae.